

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, Med. D. P. P. & Poliater. Ad Exequiale sacrum Quod Vir ... Dn. Joannes Wegnerus, I.U.D. ... Filiolo suo suavissimo Jacobo Hodierni ... destinavit. Omnes Reip. literariae Cives ... invitat : [P.P. Rostochii XXVIII. Februarii Anno M.DC.LXII. sub sigillo Rectoratus.]**

Rostochii: Kilius, [1662]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777134578>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

115

Quo  
RECTOR

Academiae Rostochiensis

JOANNES BACMEISTERUS,

Med. D. P. P. & Poliater.



Ad

Exequiale sacrum

Quod

*Vir Consultissimus ac Excellentissimus*

DN. IOANNES WEGNERUS,

J. U. D. & Consistorialis Iudicii Provin-

cialis Fiscalis ordinarius, nec non Practicus

felicissimus


*Filiolo suo suavissimo*

JACOBUS

*Hodierni diei hora media primâ destinavit.*

Omnes Reip. literariæ Cives, observan-

ter, officiose & peramanter in vitat,



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

**S**I Naturam iudicem in hoc Mundo constituamus, nihil eam Homini sub Sole, Prole & Sobole bonâ & generosâ pulchrius præciosiusve largitam esse, videbimus. Thefauros quos mundus quærit & deperit, Vesta, terræ DEÆ, peperit, eorumq; vetustas facile perit. Ast liberorum amor, Socrate teste, cœlitus naturæ velut illigatus est, ejusq; conservatio à *supra* ceu aureâ catenâ dependet, quam natura perpetuò contexens, & obeuntibus nascentia substituens, ne in nihilum redigatur, præcavet. Quod animadvertens Sacratissimus Imperator Constantinus, Cæruleo Rationali consulenti, duram liberorum à parentibus separationem esse, graviter rescribit. Et certe tanta est amoris hujus & exinde nascentis & subsequi doloris vehementia, ut ea, nisi rationis frænâs contineatur, in motus immoderatos & illicitos prorumpat. Quod Jocastæ Corinthiorum Regis Uxoris historia probat, quæ Polinyclem & Eteoclem filios mutuis vulneribus confossos cernens, dolori nimium indulgens, sibi ipsi manus violentas intulit. Amphionem item & Sedasum aliosq; complures inopinatis casibus liberis orbatos, præ mœroris impatientiâ, cineres liberorū proprio tingentes & irrigantes sanguine, extinctos esse legimus. Et Mythologi, dum Nioben Tantali filiam liberorum orbitatem impatientius lugentem in lapidem lacrimas perpetuas stillantem transmutatâ referunt, dolorem istum nimium, mentis stuporem inducere demonstrant. Nec Poëtæ alium in finem Herculem Alcidem

mon-

monstrorum terribilium domitorem potentissimum, Hylam puellum filii loco adoptatum tenerrimè deperisse, eumq; Aschanii fluminis voragine absorptum amarè imò impatientissimè non tantum deflesse, sed & Poliphemum stentorea voce Hylam in clamarum emisisse fingunt, quã ut amoris parentum in liberos vim tantam esse nobis ostenderent, ut ad eam etiam ferocissimus quisq; mitescat & fortissimus quisq; heros facilerè succumbat. Hoc Anacharsis Scita intelligens interrogatus, cur liberis operam non daret, respondit: quia natos nimium amaturus, & denatos & abreptos nimis defleturus essem. Hunc luctum, acerbissimum ostendit Jacob Patriarcha, dum tunicam filii videns, eum à bestiis discerptum autumans, cilicio indutus filium deplorans in hæc verba tandè erumpit: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Hinc Davidis lamentatio 2. Samuel. 18. *Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribuet, ut ego prote moriar.* Hinc Hannæ lachrymæ, quibus maritum increpat, Tobia. 5. *Scipionem senectutis nostræ tulisti, & transmisti à nobis. O utinam pecunia ista nunquam fuisset, cuius gratia filium ablegasti, sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus videre gnatum ante oculos nostros.* Quamvis enim Symmacho in Epist. ad Protadium teste, *nata sobolis primus parentes dies hilaret;* tamen eodè autore *mox pimetis brevè gratiã fugant.* Pauca verba sed ponderosa, & singula penè dixerim singula testimonia. Nam simulatq; nati sunt Liberi, parentum animi gaudio non tantum titillantur, sed & ea parentes cura torquet, ne quid mali vel cum nutricis lacte fugant, vel à papulis, varis,

varis, eçthymatis, pustulis, destillationibus, catharrisvè  
patiantur, neve virtutum semina aut in herba ipsa, quod  
ajunt, comprimantur, aut in flore adolescentiæ pereant,  
aut, ubi ad frugem pervenerunt, immaturâ mortis falce  
refecentur, aut etiam infiti & innati illi naturæ flosculi, vel  
in ipsis cunis, mortiferi sibili ad flatu quasi siderati, & caly-  
culis suis excussi inarescant, atq; *ὠλεσίναρπι* emoriantur.  
Quod cum fit, DEUM immortalem quam longus succedit  
brevis gaudio mœror! Quot audiuntur gemitus & plora-  
tus! Quanti sentiuntur & vix consolabiles dolores. Ex-  
pertus est huic amorem & amarorem Vir Consultissimus  
& Excellentissimus DN. JOANNES WEGNERUS  
J. U. D. Advocatus Provincialis & Consistorii Ducalis Fisca-  
lis ordinarius, fautor & amicus noster honorandus, cui  
cum ex Coniuge sua DOROTHEA STEPHANI foeminâ  
Virtutum Matronalium studiosissima XI Octobris die  
circa mediam septimam matutinam Anni proxime præ-  
cedentis filius natus, moxq; per sacrum baptisma Christi  
sanguine ablutus & renatus esset, non potuit non gaude-  
re & omnibus lætitiis incedere. Verum mira eaq; ferè su-  
bitanea subsequitur mutatio, maxim<sup>9</sup>q; dolor præcedens  
gaudium excipit. Dum enim Pater peregre abest, mors  
in domum impressionem facit & tenerrimum infantem  
JACOBUM in cunis adhuc vagientem, tam hostiliter in-  
vadit, ut post intervallum non longum, patre absente, re-  
rum omnium securo & ignaro, animulam innocentem  
extruderet, patriq; revertenti putamina pro nucleo, cada-  
ver pro homine, mortuum filium pro vivo obtruderet.

Quam

Quam triste putabimus spectaculum hoc fuisse parentis  
Ego profecto, non magis illud descriptione meâ exprimere  
posse confido, quam Timantes olim pictor vultum Aga-  
memnonis penicillo. Is enim cū in Iphigeniæ immolatione,  
filia stante ad aras periturâ mœstum pinxisset Calchantē,  
mœstiozem Vlyssē Menelao patruo addidisset, & tristi-  
tiæ imaginem omnem consumpsisset, patris ipsius vultū,  
quem digne non poterat ostendere, velo obnupsit, & suo  
cujusq; animo dedit æstimandum. Similem in modum  
ego, miDN. WEGNERE, liberorum amantissimi patris  
luctum non promo, sed in communibus omnium sensibus  
& in ipsâ naturâ positum atq; infixum esse cupio. Amasis  
quondam ad aliquem filio orbatum dixisse fertur: Si non  
luxisti cum ille nondum esset in mundo, ne nunc quidem  
lugebis, postquam in Mundo esse desit. Sed huic tamen  
errori velum quadantenus obduxit pietas. Itaq; Te amif-  
sum filiolum deplorare non solum non miramur, veruerit  
licet Romanorum Numa, ne infans triennio minor lugeat-  
tur: sed & luctui tuo mœrorem nostrum adjungimus, mi-  
nimè interim dubitantes, quin cogitaturus sis, non semper  
aut obesse amara aut prodesse dulcia; & illud sapientis:  
Quemadmodum Musica gravibus & acutis constat sonis:  
Musiciq; est, non qui horum alterutris offenditur, sed  
qui utrisq; uti & falsas vocales cum severis, acutas cum gra-  
vioribus conjungere ac temperare novit: sic vitam sapien-  
ter instituisse censendus est, qui diversos rerum eventus,  
& inter se pugnantes miscere, & secundos cum adversis  
compensare didicerit: eamq; ob causam solatio & consilio  
id esse.

id effecturum, ut lectissima & dulcissima vitæ sociæ DOROTHEA STEPHANI cum Merope dicat: Non sola sum, mortalium cui liberi perierunt. Sed quid dico perierunt: Filiolus vester, qui hodie funere efferetur, non periit, sed obiit: ex hoc miserabili errorum & terrorum teatro in quo secundum *Blesensem*, infra cupiditas carnis, supra assensus rationis, ante incurfus Dæmonis, post memoria carnis, ex vita, secundum *Clarevallensem*, plena, prætorum dolore, præsentium labore, futurorū timore abiit: non amissus, sed, quia DEO placuit, hinc dimissus & præmissus. Nulla huic furiosa *Ate*, nulla improba *Afrania*, nulla *Hecate* truculenta quicquam amplius faceissent negotii: Ut lacus Andurianus, teste *Plinio*, neq; exhaustis aquis minuitur, neq; infusis augetur: Ita Christianorum esse non magis infringi adversis, quam inolescere secundis, sacer codex ostendit. Et quid quæso spei tandem nobis est reliquum, cui vel nos vel posteros nostros devovemus? Clasicum jam canit in finibus Germaniæ nostræ Turcarum furor: atq; utinam falsa sint illa, quæ minimè vanis conjecturis magni nominis Theologi olim cervicibus nostris insequentium annorum decursu imminitura prædixere! Equidem malè ominari nolo, facere tamen non possum, quin exclamem: O securos qui in manu DEI sunt! O dubios quos homo tuetur homines! felicissimos vero qui instantibus ærumnis dudum prærepti sunt! minùs miseros, qui iter emensi ad veræ tranquillitatis hospitium appropinquant! infelicissimos omnium, qui nunc primum vitæ hujus ludicræ ac lubricæ spatium decurrere incipiunt.

unt. *Chrysoſtomus* Orator Theologorum inter græcos potentiffimus, ſic poſt Scripturas ſacras Tibi hodie loquitur. Num quid amiſiſti puerum? Num quid filium perdididiſti? Imo verò acquiſiſti & firmius obtinuiſti: Non enim Patris appellationem perdididiſti, ſed, ut ampliùs etiam voceris, adeptus es: quia non filii mortalis Pater deinceps vocaberis: Non enim is eſt infans iſte, qui jacet, ſed ille, qui ad cœlos evolavit curſuq; contendit. Oculi illius quidem ſunt depreſſi, corpusq; apparet immobile: Verum hi oculi majora videbunt, & corpus hoc, quod corrumpitur, induet immortalitem, majoreq; cum magnificentia filium tuum recipies. In his itaq; acquieſce, & ſurculum hunc, quem ante aliquot ſeptimanas vernantem lætabundus conſpexiſti, Jehovæ Deo tuo hilari fronte offer. Proximam autem propaginem hujus ſurculi non eſt quod hic adumbrem, notus enim Tu, prædicte Vir Ampliſſime DN. JOANNES WEGNERE omnib<sup>9</sup>, tuaq; Conjux fœmina laudatiſſima DOROTHEA STEPHANI; Ulteriores radices, quamvis jam omnes ſuccisæ ſint, tamen famæ odorem ſuaviſſimum poſt ſe reliquerunt: Sive enim Avum Paternum DN. JOANNEM WEGNERUM Civē & Senatorem olim hujus Urbis ſpectatæ integritatis, ejuſq; Conjugē DOROTHEAM Matronam conſpicuam, Hans Detloſſs Mercatoris, Cereviſiarii & Collegii nautici Senioris quondam Filiam: Sive Avum Maternum Virum Nobiliſſimum Ampliſſimum & Conſultiſſimum DN. MATTHIAM STEPHANI J. U. D. Conſiliarium Celiſſimorum Pomeraniæ Ducum beatiſſimæ recordationis, nec non in Academia Gryphis-




Gryphiswaldense Antecessorem emeritū, adeoq; propter  
varia Scripta in jure edita toto orbe celebratissimū. cū Con-  
juge sua svavissima DORO THEA SEIDELIA, Excellentis-  
simi DN. SEIDELII Med. D. & quondam in Academiâ Gry-  
phiswaldense P. Clarissimi filia, rari exempli matronâ con-  
sideramus, utiq; apparet, stirpem hanc, ex quâ infantulus  
hic progerminavit, generosam & claram satis fuisse, & ad-  
huc esse. Ex qua quamvis serâ posteritatis progenies spe-  
rabatur; Tamen eheu! Sacro morbo quem Regium alias  
appellamus, surculum hunc XXIII. Febr. anni currentis die  
obruente, tandem is XXIII. ejusdem circa octavam ma-  
tutinam præmaturâ mortis succisus sicilicet concidit. O-  
mnes stellæ quæ ab Oriente surgunt feruntur in Occasum:  
sed aliæ tardius, aliæ celerius sese aspectui nostro subtra-  
hunt: sic venustulum hoc sydus, quod cum aliis ortum  
erat, non æquè lentum cursum tenuit; sed cum vix coru-  
scare cæpisset, celeri cursu ad occasum mortis delatum  
est. Cū vero Mæstissimus Dn. Parens filiolo suo JACOBO  
justa debita solutum, ac JEOVÆ supremo parenti oblatum  
in publicum nunc prodeat: nostrum, Cives Academici, o-  
mninò erit, contestandæ benivolentiæ causa frequentia,  
honorificâ deductionem hodiernam ornare, lugentibus  
condolere, & nauli paulo post parilis solvendi, adeoq; for-  
tis nostræ memores, Nos, Academiam, Ecclesiam unde-  
quaq; impetitam induli Halcyonii instar fluctuantē, DEO  
summo Rectori & Directori commendare.

P. P. Rostochii XXVIII. Februarii ANNO M. DC. LXII.  
sub sigillo Rectoratus.

*Conventus fiet in templo Mariano ad horam primam.*

Quam triste putabimus spectaculum  
Ego profecto, non magis illud scriptio  
posse confido, quam Timantes olim pi  
memnonis penicillo. Is enim cū in Iphige  
filiā stante ad aras periturā mœstum pi  
mœsttorem Vlysses Menelao patruo a  
tix imaginem omnem consumpsisset,  
quem digne non poterat ostendere, ve  
cujusq; animo dedit æstimandum. S  
ego, miDN. WEGNERE, liberorum  
luctum non promo, sed in communibus  
& in ipsâ naturâ positum atq; infixum e  
quondam ad aliquem filio orbatum dix  
luxisti cum ille nondum esset in mundo  
lugebis, postquam in Mundo esse desi  
errori velum quadantenus obduxit pie  
sum filiolum deplorare non solum non  
licet Romanorum Numa, ne infans tric  
tur: sed & luctui tuo mœrorem nostrum  
nimè interim dubitantes, quin cogitatu  
aut obesse amara aut prodesse dulcia  
Quemadmodum Musica gravibus & ac  
Muficusq; est, non qui horum alterut  
qui utrisq; uti & falsas vocales cum sever  
vioribus conjungere ac temperare no  
ter instituisse censendus est, qui diverso  
& inter se pugnantes miscere, & secu  
compensare didicerit: eamq; ob causas



parentis  
primere  
um Aga  
olatione,  
lchantē,  
& tristi  
us vultū,  
it, & suo  
modum  
ni patris  
sensibus  
Amasis  
: Si non  
uidem,  
c tamen  
Teamif  
vetuerit  
or lugea  
mus, mi  
i semper  
apientis:  
at sonis:  
tur, sed  
um gra  
n sapien  
eventus,  
adversis  
consilio  
id esse.